



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XIV. De poenitentia eorum, quorum alter est coniugatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

XIII.

Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens vxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.

XIV.

Quod si vir non habens vxorem, alterius vxorem adulterauit, aut si qua mulier non habens virum, cum alterius viro: ille qui fœdus violauit coniugii, septem annis, vt supradictum est, pœniteat: ille qui lege coniugii non tenetur, quinque annis pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda est his, quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam coniugum amplexus, & illis qui coniuge carentes, ardore libidinis impellente, in fornicationem ceciderunt.

XV.

De collectis, vel confratriis, quas consortia vocant, sicut verbis monuimus, & nunc scriptis expresse præcipimus, vt tantum fiat, quantum relictum ad auctoritatem & vtilitatem, atque ad salutem animæ pertinet. Ultra autem nemo nec sacerdos, neque fidelis quisquam, in parochia nostra progredi audeat. Id est, vt in omni obsequio religionis, videlicet in oblatione, in luminariis, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemosynariis, & ceteris pietatis officiis. Pastos autem & comessationes, quas diuina auctoritas vetat, vbi & grauedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ, & rixæ, sæpe etiam, sicut experti sumus, vsque ad homicidia, & odia, & dissensiones accidere solent, adeo penitus interdiciamus, vt qui contra hoc

Concil. Tom. 24.

Rrrr ij